

Q. D. B. V.

Tria eaq; præcipua

MEDIA

PROFICIENDI IN LITERIS, INGENIUMQ;
EXCOLENDI,

in

PARENTATIONE

WINCKLERIANA

Gymnafii Zittaviensis

JUVENTUTI

d. 2. Jun. An. MDCCXI.

post finita Templi Sacra,

publicè commendabuntur

observanda;

cui negotio

ut

PATRONI, FAUTORES,

AMICI

Honorifico suo Accessu & Præsentia

pondus adjiciant,

decenter rogat

M. Godofredus Hoffmannus, Rector

Zittavia, Typis Michaelis Hartmanni.





Antus rei litterariæ, dum viveret, fautor fuit Vir inclytus, Dn. MELCHIOR CASPAR WINCKLERUS, Ullersdorfii & Sommeraviæ Toparcha, ut non modo post beatum ex hac vita discessum, nullibi memoriam sui conservare vellet libentius, quam nostro in Gymnasio, verum & ultimis testamenti sui tabulis expressè præciperet, in anniversaria hac Recordatione semper aliqua esse proferenda, quæ cum studiosæ Juventutis usu conjuncta, & ad ejus captum statumq; præsentem accommodata essent. Quæ sancta Dispositionis Wincklerianæ lex mihi, quem prima nunc vice ista perorandi tangit pietas, ansam dedit curatius lustrandi hodiernam scholasticæ Juventutis conditionem. Atq; in hac ipsa lustratione tria inveni Juvenum studiosorum genera, quos vel ideo hîc libet in tres quoq; redigere classes. In prima collocentur ii, qui finem volunt, media verò nolunt; h. e. qui non re, sed nomine tantum, sunt Studiosi, quosq; B. *Ahasveri Fritschii Scholaris peccans* p. 30. ita depingit: *Non pauci serviunt in annos suos, veluti tyranni, sic vivunt, ac si ad perdendum tempus conducti essent; eos frequentes videas in foro, in vicis, in plateis, in tabernis, in theatris, rari autem sunt in lectionibus, disputationibus, collegiis publicis atq; privatis: si visitabis eorum Musea, vix unum atq; alterum librum, sed clausum vel pulvere plenum, reperies, oculis autem tuis fistula tabaci, alea, charta lusoria, capacia vitra, instrumenta militaria & alia scholastico ordini minimè convenientia objiciuntur. O quanta sequetur olim pœnitentia, sed nimis sera!* Ad alteram classem referantur, qui quidem nec viribus nec voluntate discendi sunt destituti, ordinem autem & bonam methodum in eruditionis acquisitione ita negligunt, ut post prolixas ambages & infinitos errores demum intelligant, aliam sibi viam ingrediendam fuisse. Horum fata *Gabriel Naudæus in Syntagm. de studio liberali cap. VII.* ita describit: quem-

ad-

admodum nisi debito tempore occationes, repastinationes & tertiationes, (quæ methodus est agricolarum,) campis adferantur, nisi paululū interquiescere permittantur, cæliq; diversas tempestates opportunè excipiant, quantumcunq; sua natura fertiles sint, & uliginosi, ipsi tamen pro frumento rubos, pro siligine sentes, pro tritici deliciis infelix lolium & quisquillas proferent: pari modo juvenis animus nihil unquam egregium in studiis præstare poterit, nisi prius mentem suam confusione liberet, & medicorum instar, (qui liquida solidis, & coctu facilia in stomachum præmittunt,) à facilioribus incipiendo, viam sibi ad difficiliora muniat, omnia suaviter disponens, artesq; & scientias per partes addiscens, absq; ulla aberratione. Tertiam classem constituunt illi Juvenes, qui ut ad bonas literas unice nati, afflatu quodam divino ad id vitæ genus ducuntur, ita stadium studiorum currunt, juxta cynosuram bonæ methodi; hinc vitia non tantum intellectûs, sed etiam & quidem præcipue voluntatis corrigunt; delectum in rebus discendis ad ingenii capacitatem, patriæ usum & sumtum rationem formant; obscuris, quæ reconditæ sapientiæ speciem mentiuntur, ideoq; incautis & imperitis facile imponunt, non inhærent; rara & curiosa quotidianis & ubiq; obviis non præferunt, probè gnari, ridiculum esse, cum quis sua ignoret, aliena scrutari, neq; verè doctum dici posse, qui non simul verè utilis est patriæ; paucis: modesti sunt, nihil temerè defendendum suscipiunt, aliorum placita, præjudicatis opinionibus vacui, non facile respuunt, sed ea cum suis conferunt, & ubiq; veritati sincero animi affectu litant; imprimis culturam judicii urgent, cuius vim ad expedienda negotia humana maximam esse, quotidianâ docentur experientiâ.

Hæc est ea mixtura, quæ hodie reperitur in cœtu Discen-
tium scholastico, quæq; sic distringuntur Docentium animi, eorumq; boni turbantur conatus, ut, qui salvam servari volunt conscientiam, causam habeant non unam, cur cum timore ac
tre-

tremore salutem suam præ cæteris conficiant. Excitandi sunt inter Discentes ignavi; dirigendi oberrantes; fatiandi rerum discendarum cupidi; singulis offerendum est pabulum conveniens. Polytropiæ itaq; scholasticæ gnarus esse debet omnis Præceptor publicus, h. e. intelligat artem accommodandi sese ad tot juvenilium animorum diversas passiones & proclivitates. Cum igitur cras aliquid publicè loquendum sit in memoriam Wincklerianam, eo quidem consilio, ut meo sermone juvenum auscultantium adjuventur profectus; in dicendi argumentum incidi, quod quidem singulis notum est, à nemine tamen satis commendari potest, dum supra omnium commendationem est. Prædicabo nimirum **TRIA EAQ; PRÆCIPUA PROFICIENDI IN LITERIS, RITE EXCOLENDI INGENIUM ET AD VERAM ERUDITIONEM PERVENIENDI MEDIA**, quæ verò hic nominare vel ideo non libet, ut eò majus sciendi desiderium & certior auscultandi promptitudo in nostris excitetur Juvenibus. Experimentiâ enim didici, rubra interdum nocere nigris, h. e. libri titulum impedire, quominus ejus legatur argumentum; quam quoq; injuriam non raro experiuntur in templis ipsi Concionatores, quando non satis specioso titulo suam commendant dicendi materiam; quæ verò auditorum voluptas non excusanda, sed damnanda est, cum satis constet, non curiositate, sed simplicitate, salutariter nutriri hominum animos. Pompatica enim ostentatio titillat quidem audientium aures & spectantium delectat oculos, non autem nutrit esurientium animos: nuda est veritas, nudis commendari vult verbis.

Invitandi nunc essent Auditores; sed & hoc labore superfedere possum. Sunt enim inter Litteratos Zittavienses multi, qui in publicis magisq; arduis suarum functionum occupantur negotiis; hos à suis ad scholastica nostra avocare, religioni habendum est: sunt etiam forte nonnulli, quos tædium vel fatietas cepit in Scholas; hos ad subsellia molesta multis sollicitare, contra æquum vel potius contra jucundum foret: sunt tandem, qui vel non invitati libenter accedunt; his pro tam benevolâ comparendi & auscultandi promptitudine omnia ea promitto, quæ præstari possunt ab homine mei ordinis. Deus servet Patriam in mediis bellorum incendiis, cœlesti beneficio, tutam hætenus & quietam. *P. P. d. XXXI. Maji, Anni MDCCXI.*

